

S. HVLDRICVS PRAESVL AVGVSTANVS.



**S**anctus Huldricus ex illustri familia comitum de Kiburg & Dillingen patre Hupaldo, & matre Dietpurga ducissa Sueviæ natus est. Huius preclaram indolē parentes eius ab infantia statim deprehenderunt, dum otium fugeret, & literis atque uirtutibus operam daret. Erat autem eo tempore celebris schola nobilium in cœnobio S. Galli. Itaque parentes filium suum in eo collegio Vannigo bonis literis & morum sanctitate clarissimo uiro erudiendum curauerunt. Dum ibi esset omnes eius loci studiosos æquales suos Huldricus longè superabat. Hinc factum, ut Vuiperāda nobilis matrona eius loci, prædiceret ipsum insignis alicuius Ecclesiæ Episcopum futurum. Postea Augustā missus ad S. Adelberum præfulem ut perfectius erudiretur. Ab eo cum ob negotia Romam mitteretur, atque is interea moreretur, parum absfuit, quin statim Augustanus Episcopus renunciaretur. Verūm ipse ætatem causatus renuit, & Augustam rediens, Hilti-